

« bonorum dicti monasterii, seu maioris partis eorum, fuerit pacificam assecutus,
« illum gestet habitum qui in prefato monasterio geritur et habetur, seu gere-
« batur et habebatur, eius institutis regularibus se conformando. Datum Rome apud
« Sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadragesimo qua-
« dragesimo tertio, pridie Idus Martii, pontificatus nostri anno quartodecimo ». Post
quarum quidem litterarum apostolicarum presentationem et receptionem,
fuimus per dictum fratrem Iohannem cum instantia debita requisiti, ut ad execu-
tionem earumdem litterarum apostolicarum et contentorum in eisdem procedere
curaremus, iuxta traditam seu directam per eas a Sede Apostolica predicta
formam. Nos igitur Blasius, archidiaconus Nonensis, commissarius et executor
prefatus, volentes mandatum apostolicum huiusmodi, nobis in hac parte directum,
reverenter exequi, ut tenemur, et quia de meritis et idoneitate prefati fratri
Iohaani diligenter informavimus, et quia per huiusmodi diligentem informationem
ipsum utilem et idoneum ad regimen et administrationem ipsius monasterii fore
comperimus, vocatis prius dicto reverendissimo domino Laurentio archiepiscopo
Iadrensi, et aliis qui fuerunt evocandi, ac omnia et singula superius in prefatis
litteris apostolicis contenta affirmantibus et in infrascriptis consentientibus, idcirco
auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, de persona ipsius fratri
Iohannis eidem monasterio, sive ut primitur, sive alias quovismodo, aut ex
alterius cuiuscumque persona vacet, ipsiusque provisio ex quavis causa ad Sedem
Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datarum
presentium eidem monasterio de abbatе provisum canonice non existat, provi-
dimus ac tenore presentium providemus, ac in presentia cleri populique Pa-
ghensis, personaliter existentis ante portam ecclesie et monasterii Sancti Petri
prenominati, ipsi fratri Iohanni claves dicte ecclesie et monasterii consignavimus,
introducentes ipsum in dictam ecclesiam et monasterium, ponentes etiam ipsum
super stallum suum tamquam verum abbatem dicte ecclesie et monasterii decan-
tantibus hymnis et campanis pulsantibus, ipsumque illi in abbatem prefecimus
et preficimus, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii sibi in spiri-
tualibus et temporalibus plenarie committendo. Et nihilominus eidem patri
Iohanni, postquam de persona sua dicto monasterio provideramus, ut a quacum-
que maleret catholico antistite, gratiam et collationem Sedis Apostolice habente,
munus benedictionis suscipere valeret, ac dicto antistiti ut munus ipsum dicto
fratri Iohanni impendere posset licentiam et facultatem auctoritate apostolica
predicta concessimus et tenore presentium concedimus. Que omnia et singula
supradicta ac predictas litteras apostolicas et hunc nostrum processum, omniaque
et singula in eis contenta, vobis omnibus et singulis supradictis intimamus, in-
sinuamus et notificamus, ac ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus
et deduci volumus per presentes. Vosque, dominum archiepiscopum pro tempore
existentem, ac alios quorum interest vel intererit, communiter vel divisim, eadem